



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, E Societate Iesv, In
Collegio Romano Eivsdem Societatis olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis. Disputationes
Scholasticæ De Incarnatione Dominica**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1653

Disputatio XXXI. De adoptione Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81011)

qui à Deo specialem potestatem, aut dominium non acciperent quod sufficit, ut dicantur Reges, & domini humano modo, ut diximus quod dominium non opponitur cum dominio alio, seu titulo, quem Christus habet, ut præferatur omnibus, si velit, in imperio talis provincie, vel in usu talis fundi: nam dominium humanum est titulus limitatus, & conditionatus, scilicet ut præferatur aliis omnibus, interim dum non impediatur ab alio habente à Deo speciale ius, vel potestatem, ut dictum est.

Obiicit tamen tertio aliquis, si Christus habet dominium rerum singularium, sequi nos peccare contra iustitiam, & committere furtum respectu ipsius Christi, quoties contra eius voluntatem vimus re aliqua huiusmodi.

Respondetur facile ex dictis negando sequentiam, quia quandiu Christus non applicat sibi illam rem peculiariter, manet solum cum dominio radicali, & in actu primo supra explicato, non verò cum dominio proximo, atque ideo relinquit usum rerum, sicut erat antea, licitum, vel illicitum, secundum alios titulos humanos nolens uti suo titulo, & applicare rem illam sibi: quando tamen aliquam rem ita sibi applicuit, prout fecit circa aliqua bona in hac vita mortali, peccabant contra iustitiam, qui inuito Christo ea bona sibi usurpabant, prout de facto peccavit Iudas peccato furti, ideoque in Evangelio appellatur fur, quia ea, quæ Christi, & Apostolorum erant, ipsis inuitis, sibi applicabat. An verò respectu bonorum Ecclesiæ, quæ peculiariter videntur Christo à fidelibus donari, habeat Christus dominium proximum, ita ut earum rerum iniqui usurpatores committant verum, & proprium furtum contra dominium Christi? questio est pertinet ad tractatum de iustitia, & iure, ubi tractari solet de dominio bonorum Ecclesiasticorum, penes quem sit de qua videri potest P. Molina *l. m. 1. de iustitia, tractatu 2. di. p. 14.* qui contra quosdam alios docet, eorum bonorum dominium esse penes Ecclesiam, ad quam spectant, appellati tamen Christi patrimonium, eo quod peculiariter ad Christi obsequium, & cultum, & propter eius amorem, & reuerentiam donata sunt. Sicut etiam quod pauperi datur propter amorem Christi, dicitur dari Christo, licet verè acquiratur pauperi eius elemosynæ dominium. Quæ sententia mihi omnino probatur, quia eiusmodi contractus donationum deseruiunt quidem ad transferendum dominium in eos solum, cum quibus commercium habemus, & quorum acceptationem possumus cognoscere, & à quibus possumus licentiam petere utendi rebus illis, cum oportuerit: alioquin possemus etiam donare aliquid animæ alicuius mortui, & per consequens non posset vllus uti amplius re illa, nisi ebenta licentia ab illa anima, quod ridiculum esset. Sunt ergo res Ecclesiæ in dominio Christi, sicut res aliæ omnes, licet speciali titulo appellentur Christi patrimonium, sicut etiam appellatur patrimonium Sancti Benedicti, vel S. Augustini, quæ eorum Ecclesiis donata, & acquisita sunt.

Ultimo dubitari potest, utrum Christus ab

initio suæ conceptionis, an verò solum post mortem habuerit hanc potestatem regiam, & hoc dominium vniuersale rerum omnium? Videtur enim post mortem illam accepisse, tunc enim dixit Apostolis Matthæi cap. ultimo. *Da-
ta est mihi omnis potestas in cælo, & in terra;* & in eodem sensu videtur Paulus dixisse ad Rom.

Matth. vi.

Rom. 14.

14. in hoc mortuus est, & resurrexit, ut viuorum, & mortuorum dominetur. Ceterum si argumenta à nobis adducta aliquid probant, videntur etiam probare à primo conceptionis momento, tunc enim cum introduceretur à Patre in orbem terrarum iussi sunt Angeli eum adorare, utique ut Regem, & Principem suum; si autem erat iam tunc Angelorum Rex, & Dominus, consequens est, ut esset etiam ex tunc hominum dominus, & Rex supremus, eisque posset præcipere. Dicitur tamen post mortem accepisse potestatem, & dominatum fuisse, non quia tunc acciperet de nouo ius, sed usum, & exercitium, ut notauit bene noster Cornelius in illum locum Pauli, hoc est accepit potestatem, & dominium expeditum; antea enim habebat quidem potestatem præcipiendi, sed eius præcepta non acceptabantur ab hominibus; post resurrectionem verò exaltatum est eius nomen, acceptatum eius imperium, receptæ eius leges, & ideo dicitur tunc accepisse potestatem, sicut in oratione Dominica petimus, ut adueniat regnum Dei, quod quidem non potest intelligi de regno Dei, quoad ius, sed quoad usum, hoc est, quod Deus regnet in nobis per obedientiam nostram, & obseruantiam diuinæ legis, & voluntatis.

Cornelius.

Addere possumus, accepisse Christum post mortem potestatem absolutam mandandi executioni leges, & placita sua, moderandique vniuersum pro libito suo: ad quod quidem antea indigebat oratione, qua id, quod vellent, impetraret à Deo: postea verò totum negotium in eius voluntate, positum est, obligante se Deo ad exequendum quicquid Christus voluerit, ita ut sufficiat velle, & suam voluntatem exprimere; unde supra *disp. 27. sect. 4.* diximus ipsum non orare nunc strictè, & in rigore sed latè, quatenus superiori intimat suam voluntatem: quare sicut sacerdos verbis consecrationis prolatis mouet Deum infallibiliter ad ponendum ibi corpus Christi, & ideo dicitur habere potestatem consecrandi ex promissione diuina sibi facta; sic Christus ex simili promissione vniuersali accepit potestatem faciendi quicquid vellet in hoc vniuerso, & ideo dicitur accepisse dominium, & potestatem, non iuris, sed facti, seu possessionem rerum omnium, & facultatem conducendi omnipotentiam Dei ad ea omnia, quæ ipse Christus voluerit.

24.

DISPUTATIO XXXI.

De adoptione Christi.

SECTIO I. *Supponuntur aliqua faciliora, & communiora in hac controuersia.*

SECTIO II. *Qua ratione Christo ut homini*

mini competat esse filium naturalem
Dei? Referuntur varia sententia.

SECTIO III. *Explicatur, & defenditur
sententia probabilior.*



E hoc agit S. Thomas *quasi*. 23.
eius materia difficilior est propter
grauem controuersiam recentio-
rum Theologorum circa Christi
filiationem naturalem, & adopti-
uam, ortam ex auctoritate Concilij Franco-
fordiensis, ubi negatur, Christum etiam ut homi-
nem esse filium adoptiuum, quam controuer-
siam conabimur redigere in breuem summam
supponentes ea, quæ faciliora fuerint, & pro-
bantes ea, quæ difficiliora.

SECTIO I.

*Supponuntur aliqua faciliora, & commu-
niora in hac controuersia.*

I.
Suppositio
prima.

Suppono primò, Deum habere filios ado-
ptiuos, quod passim Scriptura testatur. Ad
Rom. 8. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in
quo clamamus, Abba Pater*, ad Galat. 4. *ut ado-
ptionem filiorum recipereamus*, ad Ephes. 1. *qui præ-
destinavit nos in adoptionem filiorum* 1. Ioan. 3.
*Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filij
Dei nominemur, & simus*, & alibi sæpe, quibus
locis non solum constat, iustos noui Testamenti
esse filios adoptiuos, sed etiam iustos veteris
testamenti; cum enim adoptio fiat per gratiam
habitualement; hæc autem eadem data fuerit Pa-
tribus antiquis, & nobis; consequens est, illos
etiam fuisse filios adoptiuos, non quidem ex
lege, sed ex gratia.

2.
Suppositio
secunda.

Suppono secundò, adoptionem differre à fi-
liatione naturali, in hoc potissimum, quod fi-
liatio naturalis fundatur in communicatione
naturæ viuientis: at verò adoptio est assump-
tio alicuius loco filij, cum verè non sit filius
proprius, sed extraneus. Ita habetur in Con-
cilio Francofordiensi, circa finem, his verbis.
*Quid est adoptio, nisi charitatis copulatio, qua
Pater adoptione sibi copulat filium, quem proprium
non habet*? Et in libro Sacrosyllabo approbato
in eodem Concilio sic habetur col. 5. *Porro ado-
ptiuus dici non potest nisi is, qui alienus est ab eo,
à quo dicitur adoptatus, & grati ei adoptio tribui-
tur. Quoniam non ex debito, sed ex indulgentia
tantummodo adoptio præstatur. Quam differen-
tiam colligi dicunt ex ipso vocabulo adoptionis,
est enim adoptare quasi optare ut sit, quod per
naturam non est. Sic dicitur paulò inferius col.
7. Omnis enim adoptio ex affectione ducit vocabu-
li sui originem. Habet namque ex utraque parte,
utinam aduerbium eleganter inustum, ut si dicar:
utinam sis mihi in filium adoptiuum, & e contra:
utinam merear à te in filium adoptari, &c.*

Adoptare
quid.

3.
Suppositio
tertia.

Suppono tertio, eo tempore, quo Hispa-
nia sub Maurorum tyrannide erat: fuisse quen-
dam Falicem Episcopum Vrgelitanum, & Eli-
pandum Archiepiscopum Toletanum, de qui-
bus diximus *disp.* 28. qui docuerunt, Christum
ut hominem esse filium adoptiuum Dei; ra-
tione autem huius doctrinæ damnati fuerunt

prius in Concilio quodam priuato; postea in-
stante Carolo Magno in Concilio celeberrimo
Francofordiensi celebrato auctoritate Adria-
ni Papæ, & Præsidentibus eius legatis, quod
Concilium approbatum videtur ab eodem
Adriano Epistola sua. Et licet huius Concilij
decreta longo tempore latuerint; ceterum per-
petua historicorum relatione, scimus, illud
Concilium habitum fuisse, & ibi damnatum
fuisse errorem Felicis, & Elipandi de adoptio-
ne Christi, & iam tandem aliquando opera Lau-
rentij Sucij prodit in lucem aliqua pars illius
Concilij, nempe Epistola Concilij ad Episco-
pos Hispaniæ, & Epistola Adriani Papæ ad col-
legam, & liber Sacrosyllabus approbatus in eo-
dem Concilio, quæ omnia habentur in tertio
romo Concilio; & sine controuersia ab
omnibus Catholicis, ut vera, & legitima exce-
pta sunt.

Suppono quarto, in eo Concilio ad minus
damnari hanc propositionem, *Christus bonus non
est filius naturalis Dei*, & istam: *Christus bonus est
filius adoptiuus Dei*; nam illi hæretici non nega-
bant, Christum Deum, & ut Deum esse filium
naturalem Dei, sed solum volebant, hominem
non esse filium naturalem, sed adoptiuum, ut
ex eorum verbis sæpe ibi relatis constat, & ex
iis, quibus Patres eorum errorem damnant.

Dubium tamen est, an etiam damnetur, Chri-
stum in quantum hominem esse filium ado-
ptiuum. Suarez enim, & alij volunt, non dam-
nari hanc reduplicatiuam, licet sit falsa; quia
nimirum hæretici non curabant de hac propo-
sitione in eo sensu, sed, in alio diuerso, scilicet
diuidendo duos filios quorum unus esset na-
turalis, alius non esset naturalis, sed adopti-
uus; qui sensus vel erat Nestorianus, vel po-
rum ab eo differret, & ideo Concilium, & Pon-
tifex frequenter reducant aduersarios ad Ne-
storianos probantes, ipsos eiusdem erroris esse
participes. Alij tamen cum Vasquez volunt,
illam propositionem cum ea reduplicatiuam
etiam esse damnatam, quia hæretici solum di-
cebant, Christum secundum humanitatem, seu
secundum carnem esse filium adoptiuum, ut
ex eorum mente refert Adrianus in dicta Epi-
stola.

Ego non existimo, eundem omnino sen-
sum esse, quem intendunt aliqui auctores Ca-
tholici in illa reduplicatiuam, & quem intende-
bant hæretici, nam hæretici volebant, loquendo
de Christo homine, ut distinguitur à Deo,
esse filium adoptiuum; Catholici verò etiam
loquentes de Christo homine concedunt, esse
filium naturalem, sed addunt, esse adoptiuum
secundum quid, seu secundum humanitatem.
Ceterum adhuc censeo, iuxta mentem Con-
cilij, & Adriani, debere negari istam redup-
licatiuam, quia tota ratio Concilij fundatur
in eo quod adoptio includat extraneitatem
personæ, quod non reperitur in Christo, ex
hoc autem sit, neque secundum humanita-
tem esse filium adoptiuum, quia non est per-
sona extranea, nec habet negationem requi-
sitam ad filiationem adoptiuam. De quo dixi
latius supra, *disp.* 28. *sect.* 5. agendo de serui-
tute Christi. Vide quæ ibi dicta sunt. Nec ob-
stat, Christum, ut hominem habere gratiam ha-
bitualem

habitalem, cuius effectus formalis est facere filium adoptionis; respondeo enim, adoptionem non provenire formaliter à sola gratia habituali, sed à gratia, & carentia coniunctionis realis, quæ coniunctio in Christo impedit formaliter adoptionem. Aliqui verò Patres, qui Christo adoptionem videntur aliquando tribuere, loquuti sunt de adoptione in sensu improprio, vel fortasse in aliquibus littera mendosa est, vt de Hilario merito censet Vasquez *disp. 89. cap. 15.*

His suppositis, quæ facilia sunt, difficultas est, siquidem Christus in quantum homo non est filius adoptionis, siquidem in quantum homo, est sanctus, est hæres, est dilectus, an in quantum homo sit filius naturalis, & quia ratione competat Christo vt homini hæc filiatio, seu quæ sit ratio formalis constitutiva Christi vt hominis in ratione filij naturalis Dei: quod magis ex professo examinandum est.

SECTIO II.

Quaratione Christo vt homini competat esse filium naturalem Dei? referuntur variae sententiae.

Conueniunt ferè recentiores Theologi in hoc, quòd non solum hic homo Christus sit filius naturalis Dei, sed etiam in quantum homo: quod videntur colligere ex verbis Adrianus in *prædicta Epistola col. 3.* vbi postquam probasset ex scriptura, Christum esse filium naturalem Dei, subiungit, Forlicem, & Elipandum hæc omnia de Christo secundum diuinitatem explicare: ipse autem docet debere etiam secundum humanitatem accipi, quod probat, cum ex alio, tum ex illo Pauli ad Romanos 8. *Propter filio suo non peperit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum:* Vbi ponderat Pontifex Christum traditum fuisse, vt hominem, & illum eundem, qui traditus est, appellari filium ab Apostolo, quod idem colligitur ex eodem Adriano, & ex Concilio aliis locis infra adduceendis.

Hoc supposito, non parum laborant Theologi, vt explicent, quomodo Christus vt homo sit filius naturalis Dei, vt sic enim non videtur procedere per veram generationem à Deo sufficientem ad fundandam veram relationem filiationis naturalis.

P. Suarez in præfenti *disp. 49. sect. 1. & 2.* docet, Christum etiam vt hominem esse filium naturalem Dei, quia etiam vt homo habet ratione vnionis ius ad bona Dei, & vt sic etiam est hæres, iuxta illud ad Hebræos. 1. *locutus est nobis in filio, quem constituit heredem vniuersorum,* hoc enim non competit Christo vt Deus est: nam vt sic, non est hæres, sed solum vt homo; hoc autem ius ad bona paterna est proprium filiorum; cum ergo Christus ratione vnionis habeat hoc ius, consequens est, vt sic habere aliquam filiationem: hæc autem non est adoptiua, vt supra supponitur; ergo naturalis; non quia fundetur in generatione, & natiuitate naturali propria, sed quia oritur ex principiis intrinsicis ipsius filij, scilicet ex vnione ad suppositum, per

Card. de Lugo de Incarnat.

quod completur natura humana in ratione personæ: & in hoc sensu dici potest naturalis, quatenus hæc vnio naturalis dicitur non humanitati, sed Christo, qui intrinsecè resultat per illam vnionem. Fateatur tamen Suarez, hanc filiationem naturalem multum distare à filiatione naturali propria fundata in vera generatione, & ideo non esse filiationem naturalem vniocè eam illa, sed analogicè, & improprie. Ab hoc modo dicendi parum differt Vasquez *disputatione octuagesima nona capite decimo quarto.* Vtque autem colligit, per hanc filiationem non dici Christum filium soli Patris æterni, sed totius Trinitatis, quia à tota Trinitate sanctificatur efficienter. Colligit item, si Pater, vel Spiritus sanctus assumerent humanitatem, illum hominem fore etiam filium naturalem Dei, siquidem esset Sanctus, & hæres, non per affectum, sed per coniunctionem, & vnionem naturalem, sicut humanitas Christi.

Vasquez.

Hæc sententia, (vt verum fatear) nunquam mihi placuit, videtur enim inducere nouum genus filiationis naturalis in Schola antea non auditum sine vlla necessitate, & non sine inconuenienti. Sine necessitate quidem, quia si vlla est necessitas, maximè ex Concilio Francofordiensi, & Adriano supra, vbi Christus etiam vt homo videtur appellari filius naturalis Dei: hoc autem, si quid probat, cogeret quidem ad defendendam veram, & propriam filiationem naturalem, non improprie, & analogicam, qualem Suarez fateatur esse istam quam ipse defendit: Concilium enim, & Pontifex ex vero, & proprio Scripturæ sensu, cuius loca plura effert, colligit, Christum esse filium naturalem Dei; ergo loquitur de vera, & propria filiatione, ergo alia filiatio assignata non habet vllam necessitatem in Concilio. Quòd verò hæc filiatio naturalis habeat aliqua inconuenientia, probari etiam potest insinuando nonnulla, quæ ex ipsa videntur sequi.

Inprimis enim sequi videtur, Spiritum sanctum esse de facto filium naturalem Dei, non quidem per naturalem generationem, sicut Verbum, sed alia ratione diuersa, sicut Christus vt homo per te est filius naturalis Dei. Probat sequela, quia Christus vt homo ideo est filius naturalis, quia habet ius naturale ad bona diuina, & hoc non per gratiam superaditam, sed per donum intrinsecè pertinens ad suam constitutionem: sed Spiritus sanctus, licet non accipiat naturam diuinam ex vi processionis; habet tamen, (& quidem ex vi processionis) aliquod intrinsecum, ratione cuius habet ius ad bona diuina, non minus, sed multò magis, quàm Christus vt homo; ergo ex eodem etiam capite poterit Spiritus sanctus dici filius naturalis Dei, quod videtur absurdissimum.

Secundò sequitur Christum ratione etiam gratiæ habitualis constitui aliquam ratione filium Dei, non quidem adoptiuum, quia adoptio dicit carentiam filiationis naturalis, sed tamen erit filius alio modo. Probat sequela, quia ideo Christus vt homo per te est filius ratione vnionis, quia vt sic habet ius ad hæreditatem, & bona diuina:

Q q

sed

8.

Autori non placet.

9.

10.

sed etiam ratione gratiæ habitualis habet ius ad hereditatem, & bona diuina, ergo etiam ratione gratiæ est filius, non adoptiuus, (vt ipsi fatentur) ergo naturalis, vel fatendum est, illud ius non sufficere adæquatè ad fundandam filiationem.

Tertiò sequitur, Christum, vt hominem esse filium naturalem Spiritus Sancti, & filium naturalem Verbi, & per consequens sui ipsius; quod falsum esse videbimus sectione sequenti.

11. Denique à priori impugnatur ex definitione filij naturalis communiter recepta; filius enim est, qui per naturalem generationem à patre procedit: est autem generatio *origo viuientis à viuente, à principio coniuncto in similitudinem naturæ*, quam definitionem tradunt Theologi communiter in materia de Trinitate; Christus autem vt homo non procedit à Deo per generationem; non enim oritur in similitudinem naturæ; ergo vt homo non procedit vt filius naturalis, quantumcumque habeat ius ad gloriam, & ad bona diuina ratione vnionis hypostaticæ.

12. Alij ergo recentiores contendunt, Christum vt hominem non solum analogicè, sed verè, & propriè habere filiationem naturalem respectu Dei: quod aliter contendunt explicare, accommodando definitionem generationis naturalis suprà positam: dicunt enim, Christum vt hominem procedere à Deo, viuentem à viuente vt constat; item in similitudinem naturæ, quia homo etiam vt homo habet naturam similem Deo, non quidem in speciei atoma, sed tamen quantum sufficit, vt dicatur simpliciter, & absolute factus ad similitudinem Dei. Denique oritur à principio coniuncto, quia in Christo inuenitur aliquid ipsius Dei, scilicet substantia Verbi intrinsecè constituens ipsum Christum, atque ideo in Christo videt Deus aliquid sui, quod significatur per principium coniunctum; & per consequens Christo vt homini conuenit integra definitio generationis naturalis, vt verè sit filius naturalis Dei, etiam vt homo.

13. Hæc sententia displicet primò, quia dissoluit definitionem generationis naturalis, quam Theologi omnes aliter intellexerunt, scilicet vt origo à patre tanquam à principio coniuncto sit in similitudinem naturæ, hoc est, quòd origo illa tendat ad ponendam similitudinem naturæ: in Christo autem non ita se habet. nam vnio cum personalitate, per quam habet Christus vt homo esset à principio coniuncto secundum ista sententiam, non tendit ad hoc, vt Christus vt homo sit similis Deo in natura, sed per accidens; & omnino disparatè se habet illa coniunctio principij ad similitudinem naturæ & per consequens non oritur Christus similis in natura ex vi processionis à principio coniuncto, sed aliunde vt manifestè constat.

14. Secundò displicet, quia licet Christus vt homo habeat aliquam similitudinem cum natura diuina, non tamen eam quæ requiritur ad generationem naturalem; hæc enim per se loquendo tendit ad similitudinem vnionem, quòd si aliquando non assequatur eius-

modi similitudinem, vt contingit in generatione muli ex equo; hoc est per accidens, & præter intentionem naturæ, quæ ex se tendebat ad maiorem similitudinem, ideo enim Patres ex filiatione naturali Verbi diuini arguebant eius diuinitatem, Ita Hilarius libro de Synodo, aduersus Arianos, his verbis. *Pater itaque non potest aliena à se, ac dissimilis substantia Pater dici, & paulò post: Pater enim dicitur Deus, si genuerit, non dissimilis, atque aliena à se essentia naturam, quia diuersitatem paternam naturæ naturæ naturalis non recipit.* Vbi ex generatione naturali colligit apertè vnitatem naturæ: quod si posset filius naturalis esse cum natura diuersa, posset facile Ariani respondere, Verbum esse filium, non tamen esse Deum, sed creaturam intellectualem vnitam hypostaticè Deo.

Tertiò displicet, quia in eo dicendi modo, licet Christus vt homo constitueretur ex aliquo Dei, nempe ex personalitate, non tamen procederet vt homo ex substantia Dei, quod tamen Patres requirunt ad veram generationem naturalem, vt scilicet filius procedat ex natura, & substantia Patris. Ita Basiliius lib. 4. aduersus Eunomium, vbi probat filij diuinitatem hac ratione, quia quod sit, non est ex substantia eius, qui facit: quod autem generatur, ex ipsa substantia est eius, qui generat: ergo si Verbum fieret, non esset filius, quia facere, & generare non sunt idem. Videatur Bellarminus tom. 1. controuers. 2. lib. 1. cap. 6. vbi hoc etiam argumento probat Christi diuinitatem contra hæreticos transyluanos, qui dicunt, Christum esse filium Dei, quia de Spiritu Sancto conceptus est, licet non habeat veram diuinitatem. Si autem Christus vt homo esset filius naturalis Dei ratione humanitatis, non esset ex substantia, & natura Patris, nam personalitas non pertinet ad naturam, neque ad substantiam Dei in modo loquendi Sanctorum Patrum; ergo vt homo non oritur vt filius naturalis Dei.

Ideo alij Theologi etiam recentiores aliter accommodant definitionem generationis naturalis Christo vt homini, dicunt enim, Christum ratione humanitatis procedere, viuentem à viuente, procedit enim homo viuens à Deo viuente, non tamen haberet ratione humanitatis esse simile in natura, sed ratione Deitatis hypostaticè vnite; à qua etiam, & à personalitate habet formaliter, quòd sit à principio coniuncto: habet ergo totum, quod petit definitio naturalis generationis, licet non habeat totum ex vno eodemque capite, sed ex diuersis.

Hæc etiam sententia displicet. Primò, quia explicat verba definitionis generationis in sensu valde violento, & alieno à mente omnium Theologorum, qui plane volunt originem viuentis à viuente non habere se concomitantè, & per accidens ad similitudinem naturæ, sed omnino per se, & formaliter, ita vt origo illa tendat ad ponendam similitudinem in natura, & similitudo illa natura sit ex origine viuentis à viuente: quod significat definitio illis verbis, *origo viuentis in similitudinem naturæ*, id est origo tendens ad ponendam similitudinem naturæ. Hoc autem non reperitur iuxta hanc sententiam in

in Christo ut homine; habet enim originem viuentis à viuentis præcisè per productionem suæ humanitatis, quæ humanitas viuens producitur à Deo etiam viuentis; hæc autem productio humanitatis non tendit ad similitudinem in natura diuinam, ut de se constat, nec illa similitudo, seu participatio diuinitatis intenditur per productionem humanitatis, sed habet se concomitantem, & materialiter, quod non sufficit ad veram generationem naturalem. Alioquin Spiritus sanctus esset filius naturalis Dei, quia licet eius productio non tendat formaliter ad similitudinem in natura, adhuc tamen ex vi processionis procedit viuens à viuentis, procedit enim volens; & aliunde habet similitudinem in natura diuinam, licet non ex vi processionis, quæ procedit viuens formaliter per amorem. Consequens est absurdum, & contra Theologos, qui ideo negant filiationem Spiritui sancto, quia non habet ex vi processionis, sed aliunde similitudinem in natura.

18. Confirmatur, quia Christus ut homo non solum non habet similitudinem in natura diuinam ex vi originis, quæ oritur viuens à viuentis, sed neque ex vi vnionis hypostaticæ, formaliter loquendo, sed solum materialiter, & concomitantem. nam vnio hypostatica formaliter terminatur ad personalitatem, materialiter verò, & concomitantem affert naturam diuinam præter identitatem cum personalitate Verbi; ergo Christus ut homo nullo modo habet similitudinem in natura diuinam formaliter, & ex vi processionis, sed solum materialiter; ergo non est filius naturalis Dei, sicut nec Spiritus sanctus est filius, eo quod non accipiat naturam diuinam formaliter, sed concomitantem ratione identitatis cum amore, quem solum accipit formaliter ex vi processionis.

19. Secundò displicet hæc sententia, quia hoc non est ponere Christum ut hominem esse filium naturalem Dei, sed Christum ut hominem Deum: & quidem Suarez aliquid amplius volebat; scilicet, Christum etiam ut hominem esse filium naturalem Dei; nam Christus etiam ut homo, est sanctus, & hæres bonorum Dei; ergo Filius: quod argumentum retorqueri potest contra hos auctores, quia Christus secundum quod includit personalitatem Verbi præcisè, & humanitatem sanctus est sanctitate proueniente ex vnione ad personalitatem, & ut sic est persona coniuncta, & hæres, & habet ius ad gloriam ratione personalitatis; ergo ut sic est filius non adoptiuus; ergo naturalis: sed ut sic, non est similis Deo in natura, nam ut sic, non includit naturam diuinam, sed personalitatem; ergo vel dicendum est, posse habere conceptum hæredis sine conceptu filij, vel ut sic esse filium naturalem sine similitudine in natura.

20. Vltima sententia est Basilij Legionensis *tom. 1. variarum disputationum relectione 4.* qui late docet, Christum ut hominem esse filium naturalem Dei ratione solius generationis æternæ, quæ procedit à Patre, quæ æterna generatio humanitati vnita reddit filium, & per consequens si personalitas Patris, vel Spiritus sancti vnirentur, non redderetur homo.

Card. de Lugo de Incarnat.

ille filius; nec etiam de facto hunc hominem Christum esse filium Trinitatis, vel sui ipsius, sed solius Patris. Pro qua sententia congerit innumeros scholasticos (quibus addi potest Magister Curiel. *lib. 2. controuersiarum, controuersia 2.*) & Patrum testimonia. Hæc sententia, quod attinet ad rem ipsam, probabilior videtur, licet in nonnullis aliqua indigeat limitatione, & explicatione, quod sequenti sectione præstandum erit.

SECTIO III.

Explicatur, & defenditur sententia probabilior.

Dico primò, Christus in quantum homo non est filius naturalis totius Trinitatis. In hac conclusione videntur consentire antiquiores Theologi, qui nunquam de eiusmodi filiatione loquuti sunt, & expressè eam defendunt Basilij Legionensis *ubi supra*, & Lorca Lorca, in præfati *disput. 34. membro 3.* Videtur etiam expressè S. Thomæ *infra quest. 32. art. 3.* ubi docet, Christum non debere dici filium Dei, nisi solum ratione generationis æternæ, secundum quod est filius Patris, & ideo non esse dicendum filium Spiritus sancti, aut totius Trinitatis. Allegari etiam potest Alexander 3. *p. quest. 8. membro 3. art. 4.* ubi negat, Christum posse dici filium Spiritus sancti, vel Trinitatis, nisi abusiue, sicut Deus dicitur Pater plurius. Eodem modo loquitur Bonauentura *in 3. distinct. 4. art. 1. quest. 2. & 3.* Gabriel *ibi quest. unica. art. 3. dubio 2.* Albertus *ibi art. 4.* dicens, nullo modo posse affirmari oppositum, nec concedit, Christum esse filium Trinitatis. Durandus *ibidem quest. 1.* & alij, quos affert Basilij *ubi supra*.

Probatum primò ex Concilio Toletano XI. *in confessione fidei*, ubi ex doctrina Augustini dicitur, Christum Iesum nullo modo Spiritus sancti filium credi, vel intelligi posse. Probari item potest ex Epistola Adriani, & Concilio Francofordiensi *suprà* allegatis, ubi cum ex professio tractaretur de hoc puncto, & de explicanda filiatione naturali Christi, nunquam tamen dicitur filius Trinitatis, vel Spiritus sancti, sed solum Patris, & ad probandam hanc filiationem afferuntur ea solum loca Scripturæ, quæ probant Christum esse Verbum Dei, & filium Patris æterni, & numerantur duæ filiationes Christi, altera ad Matrem, altera ad Patrem, nec vnquam insinuaturs tertia filiatio ad Trinitatem: imò ideo dicitur esse filius, quia iam ante vnionem erat filius, *nunquam enim non fuit filius* (inquiunt,) *quia nunquam non fuit Pater.* Cum ergo filiatio naturalis Christi colligenda potissimè sit ex hoc Concilio, ubi specialiter explicata est, consequens videtur non esse concedendam aliam, nisi quam Concilium probat, & explicat, nimirum quæ Christus dicitur filius naturalis Patris æterni.

Denique probatur ratione *suprà* facta, quia non est filiatio naturalis, nisi fundata in generatione naturali; sed præter generationem æternam non est alia generatio, quæ Christus ut homo procedat

procedat à Trinitate in similitudinem naturæ ex vi processionis; ergo nec est fundamentum filiationis naturalis respectu totius Trinitatis.

23.
Obiectio ex
Adriano.

Contra hanc conclusionem obiicitur Adrianus in prædicta Epistola, qui vocem illam: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit*, non tantum videtur referre ad Patrem, sed ad totam Trinitatem, probat enim ex eo loco, Christum non solum secundum diuinitatem, sed etiam secundum humanitatem appellari filium Dei. nam de eodem dictum est, *Hic est filius meus*; super quem Spiritus sanctus descendit; & quidem Spiritus sanctus descendit super hominem, ut hominem; addit verò Pontifex, hoc etiam insinuari in illo verbo, *Complacuit*. nam, si secundum diuinitatem dixisset, nequaquam diceret, in quo mihi bene complacuit, sed tantummodo: in quo mihi bene placuit. Sed dum dicit, *complacuit*, totam simul Trinitatem comprehendit, quia in homine Christo tota complacuit Trinitas. Hæc Adrianus, ubi videtur totam Trinitatem facere Patrem Christi, ut hominis, & proferentem illa verba, *hic est filius meus dilectus*.

24.
Diluitur.

Conc. Tol.
1.

Respondeo non esse credibile, Adrianum illa verba tribuere toti Trinitati ut loquenti; repugnaret enim Patribus, quia ea verba de solo Patre accipiunt, ut docet expressè Concilium Toletanum primum in regula fidei edita ex præcepto Leonis primi. Item Augustinus, Hilarius, Cyrillus, Alexander, Gregorius Bericæ, Cyprianus, adducti à Basilio, ubi supra, in d. & in eodem Concilio Francofordiensi ea verba referuntur ad solum Patrem; non est ergo credibile, Adrianum se iis omnibus opposuisse, & intellexisse de omnibus personis, Solum ergo vult Pontifex, verbum *complacuit* referri ad omnes personas, non quod omnes personæ dixerint illud, sed quod Pater, qui loquebatur, dixerit, omnes personas complacuisse in Christo, ut homine. Quia enim omnes personæ diuinæ complacuerunt in Christo; idcirco Pater dixit, in eo sibi complacuisse, hoc est, sibi in Christo placuisse simul cum aliis personis diuinis. Imò, ut hoc obiter dicamus illud argumentum desumptum præcisè ex verbo *complacuit*, non videtur omnino efficax ad probandum, quod sermo sit de humanitate. nam in rigore loquendo, etiam in Verbo diuino secundum personalitatem diuinam complacent omnes diuinæ personæ: sed tamen est argumentum probabile, quia, regulariter loquendo, quando sermo est de amore Patris æterni erga Filium æternum, videtur esse sermo de amore notionali, quo producunt Spiritum sanctum, & ideo licet communiter dicatur, quod ex amore mutuo Patris, & Filij procedit Spiritus sanctus, non solet dici, quod Spiritus sanctus diligit filium; quare dum dicitur omnes tres personas complacuisse in filio, satis probabile argumentum est, quod sermo sit de filio ut homine, & non ut Deo: præsertim quod nunquam ipse filius dicitur complacere in se ipso, & per consequens, si complacentia est omnium personarum, non est de personalitate, sed de humanitate filij.

25.
Assertio secundum.

Dico secundò, valde verisimile mihi est, neque Adrianum, neque Patres Concilij Franco-

fordiensis definiisse Christum in quantum hominem esse filium naturalem Dei, ita ut humanitas sit ratio filiationis, sicut est ratio moriendi, vel patiendi, sed solum Christum hominem esse filium, ita ut per humanitatem non amiserit illud suppositum esse filium, & ita ut de illo homine verè dicatur esse filium. Hanc conclusionem expresse tenet Richardus in 3. distinctione 10. art. 2. quest. 1. ubi dicit, Christum ideo esse filium, quia per communicationem idiomatum verè dicitur filius Dei, & filius Patris, quamvis hæc naturalis filiationis illi non conueniat ratione humanitatis, sed ratione suppositi. Eandem videtur tenere expresse Lorca ubi supra membro 4. numero 37. ubi dicit illam propositionem esse veram in sensu specificatiuo propter communicationem idiomatum. Imò ipse Suarez in dicta disput. 49. sectione 1. conclusionem 1. & sectione 3. conclusionem 3. ingenue fateatur, nihil aliud colligi ex Adriano, & Concilio, nisi prædictum sensum specificatiuum, licet ipse censeat, etiam in sensu reduplicatiuo esse veram illam propositionem.

Hæc conclusio non potest melius probari, quam ex textu, & verbis Concilij, quæ quia longa sunt, sufficiet aliqua breuiter indicare. Et in primis Concilium in sua Epistola ad Episcopos Hispania, columna 3. eodem modo fateatur, Christum esse filium Dei, & esse Deum, imò quia est Deus, dicit esse filium: adducit enim locum Pauli ad Romanos 9. Ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula; ubi Apostolus loquens de Christo secundum carnem dicit, esse Deum, & statim arguit Concilium, si verum Deus, etiam & verus filius, & si verus filius, nequaquam adoptiuus. Ergo Concilium solum vult, Christum secundum carnem esse filium, sicut à Paulo appellatur verus Deus: certum est autem, non appellari verum Deum, nisi per communicationem idiomatum; ergo nihil aliud intendit Concilium in appellatione filij. Deinde columna sexta, clarius suam mentem explicat, nam adductis testimoniis Patrum, concludit his verbis: *Hæc testimonia ideo posuimus, ut cognoscatis, Deum, & Dominum nostrum Iesum Christum in vtraque natura esse & unigenitum, & primogenitum, non adoptiuum, sed magnum Deum.* Ecce Concilium vult, esse in vtraque natura, hoc est, diuinam, & humanam filium; sed non alio modo, ac est in vtraque natura magnus Deus; cum ergo in natura humana non sit Deus, nisi specificatiue, hoc ipsum intendit Concilium de filiatione naturali. Hoc ipsum concludit columna vltima, his verbis: *& verum Deum, verumque filium consitemur in vtraque natura, diuinam scilicet, & humanam.* Ecce æqualiter constituitur Christum Deum in natura humana, & filium; ergo neutrum intelligit reduplicatiue, sed specificatiue, contra Elipandum, & sequaces, qui negabant de Christo hominem dici posse, esse filium naturalem, sed adoptiuum; contra quos Concilium semper contendit, eundem esse hominem, & Deum, & ideo eundem etiam esse hominem, & filium naturalem, & per consequens non adoptiuum.

Contra

Contra hanc conclusionem obiicitur auctoritas eiusdem Concilij, & Adriani, qui sæpe dicunt, Christum etiam in quantum hominem esse filium naturalem Dei. Ita loquitur Adrianus *column. 9.* vbi illa verba, *Hic est filius meus*, docet, dicta fuisse de Christo secundum humanitatem. Idem habetur in libro sacrosyllabo eiusdem Concilij *column. 4.* vbi ad hoc ponderat verba Angeli, *Dabit ei Dominus Deus sedem David Patris eius.* Ex quibus sic arguit: secundum carnem, videlicet David, filius dictus est, non secundum diuinitatem. Habes igitur, quomodo, de quo supra dixerat: quod ex te nasceretur sanctum, vocabitur filius Dei, non adoptiuus, sed verus, non alienus, sed proprius, de eo subiecit, *dabit ei Dominus Deus sedem David patris eius.* Ad hoc etiam *column. 6.* ponderat illa verba Petri, *Tu es Christus filius Dei viui.* quia non dixit, *Tu es filius Dei viui.* Fingeres enim (inquit), forsitan more tuo falsa argumentatione, ut diceret, secundum diuinitatem eum filium Dei confessus est. Sed quoniam cum addimento dixerat: *tu es Christus filius Dei viui*, omnium hereticorum ora fidei sue pugno attriuit. Christus namque nomen ab homine, quem assumpsit, accepit, quia uictus in homine fuit, &c. Et denique *columna ultima* concludit, Christum esse proprium filium, & verum in utraque natura; ergo non solum ut Deus, sed etiam in quantum homo, dicendus est filius naturalis in sensu reduplicatiuo.

Ad hac, & similia testimonia responderetur facile ex supradictis, & ex mente ipsius Adriani, & Concilij, in primis sæpe negari apud ipsos, Christum secundum carnem, & secundum humanitatem esse filium adoptiuum, de quo non est modò controuersia, numquam tamen dici, Christum esse filium naturalem in quantum hominem, sed solum, quod loquentes de Christo homine, etiam ut homine, possumus eum appellare filium naturalem Dei, non quidem filium naturalem in quantum hominem; ad hoc enim adducuntur testimonia supra adducta, quibus Pater, & Petrus loquentes de homine, appellant eum filium Dei, aduersarij enim negabant, Christum ut hominem etiam specificatiue appellari filium naturalem; contra quos vigent illa testimonia, in quibus cum homine est sermo, & de homine dicitur esse filium naturalem. De sensu autem illo reduplicatiuo à nostris recentioribus intento, nec verbum habetur in dicto Concilio. Quando verò dicunt, Christum etiam in natura humana esse filium, non aliud volunt, quam quod voluit Concilium supra adductum, dum dixit etiam Christum in utraque natura esse filium, & Deum, hoc est, esse eundem, qui etiam, dum homo est, est Deus, & filius: quem sensum explicauit ipse Adrianus in sua epistola, *col. 2.* vbi contra aduersarios solum contendit, quod per carnis assumptionem non factus fuerit extraneus, aut desierit esse filius, qui ante carnem semper filius fuerat.

Dico tertio; adhuc tamen admittenda videtur illa propositio, *Christus in quantum homo est filius naturalis Dei*, in aliquo sensu reduplicatiuo non omnino improprio. In hoc etiam conuenit Basilius Legionensis vbi supra. & probari potest supponendo doctrinam S. Thomæ supra Card. de Lugo de Incarnat.

quest. 16. art. 12. vbi docet, hanc propositionem, *Christus in quantum homo est persona*, habere duplicem sensum. Primum, reduplicando supra naturam, & in hoc sensu esse falsam. Secundum, reduplicando supra suppositum, quod includit homo, & in hoc sensu esse veram. In hoc ergo secundo sensu possumus etiam dicere, Christum ut hominem esse filium Dei. quia ut homo non solum dicit naturam humanam, sed etiam hypostalam, quæ in Christo est filiatio æterna; ergo Christus ut homo includit filiationem naturalem; ergo ut homo est filius naturalis in aliquo sensu. Et licet non debeat simpliciter concedi illa propositio, *Christus in quantum homo est Deus*, ex doctrina sancti Thomæ vbi supra *art. 11.* communiter recepta, hæc tamen propositio, *Christus in quantum homo est filius*, melius potest admitti, quia in quantum homo non includit villo modo Deitatem, sed solum subsistentiam, & humanitatem; ideo melius dicitur, *in quantum homo est filius*, quam *Deus*. Et propter hanc inclusionem hypostasis concludit Valentia *disput. 1. quest. 23. puncto 1.* posse dici filium in quantum hominem, quia nimirum secundum hypostalam humanitatis est filius naturalis. Vide quæ diximus supra *disput. 23. Sess. 6.* vbi sensum illius propositionis, & eius veritatem latius explicauimus.

Contra hanc conclusionem obiici potest, quia licet Christus in quantum homo includat filiationem, non tamen sufficit hoc, ut concretum resultans præcisè ex filiatione, & humanitate sit filius: nam filiatio æterna est forma constituens filium cum subiecto proportionato; qualis est sola natura diuina, non verò natura humana. Quod probari potest ex ipsa definitione filij, filius enim est, qui oritur viuens à viuente in similitudinem naturæ, &c. concretum autem ex personalitate, & natura humana præcisè non est viuens à Deo viuente in similitudinem naturæ; nam illud concretum ut sic non est Deus: ergo ut sic, non est similis in natura diuina; ergo ut sic non est filius naturalis Dei, sed quatenus includit etiam naturam diuinam, quam non includit Christus villo modo in quantum homo.

Respondeo, filium dupliciter posse accipi, scilicet prout in fieri, vel prout in facto esse: filius in fieri potest significare idem, quod genitus; filius verò in facto esse idem, quod habens terminum generationis. Quare licet in humanis filius denominatur genitus, non à natura humana formaliter, quam accipit, sed à generatione ipsa, quæ est via, ita diuinus filius denominatur formaliter genitus, non à natura diuina, sed à generatione æterna, qua accipit naturam; & in hoc sensu sicut à generatione dicitur genitus, sic etiam ab eadem dici potest filius, quasi in fieri, seu fundamentaliter: & in eodem sensu concretum ex humanitate & personalitate Verbi, sicut est genitus, potest dici filius; licet prout sic, non sit filius in facto esse, hoc est, non sit, habens naturam diuinam, nisi solum quasi in fieri, & in via, quod sufficit ad aliquam denominationem filij.

Ex dictis infero, si persona Patris, vel Spiritus sancti assumeret humanitatem, tunc illud hominem non fore filium naturalem Dei: quia

quia non procederet à Deo per veram, & naturalem generationem.

Effugium.

Dices, ille non est filius adoptiuus; ergo naturalis.

Excluditur.

Respondeo, concessio antecedenti negando consequentiam: neque enim esset adoptiuus, quia non esset persona extranea, neque etiam naturalis, quia non esset per naturalem generationem.

Instantia.

Instantis, ille homo esset sanctus ratione vniouis; ergo esset hæres, ergo filius.

Diluitur.

Respondeo, fore sanctum, fore etiam heredem, sed non filium, latius enim patet hæres, quam filius, & licet arguatur bene iuxta Apostolum, est filius, ergo hæres; sed non è contra, est hæres, ergo filius: hæreditas quippe fundari potest in alio iure non proveniente ex filiatione: sicut etiam Spiritus sanctus de facto habet ius essentiale ad bona diuina, & non est filius.

33.
Obiectio.

Sed contra obijciens adhuc; quia ideo præcisè gratia habitualis facit filium, quia dat ius ad hæreditatem; sed illa vniò daret etiam ius ad hæreditatem, ergo faceret filium.

Remouetur.

Respondeo negando maiorem: nam gratia habitualis non iūco præcisè est filiatio, quia dat ius, sed quia dat ius tali modo, nempe per adoptionem. Pro quo aduerte, duplex solum genus filiationis cognosci, alterum filiationis naturalis, quæ fundatur in vera, & propria generatione; alterum filiationis adoptiue, quæ est assumptio personæ extraneæ ad curam, & gubernationem paternam, & ad hæreditatem, sicut si esset filius. Ius ergo ad hæreditatem, quod fundatur in generatione naturali, vel adoptione arguit filiationem, ius autem ad hæreditatem, quæ in neutra illarum filiationum fundatur, arguet quidem aliam conjunctionem, & aliquando maiorem, sed non filiationem, quia non est impositum nomen filij ad aliud ius, vel conjunctionem significandam. Gratia ergo habitualis non ideo præcisè est filiatio, quia dat ius ad hæreditatem, (reperitur enim hoc ius sæpè sine filiatione,) sed quia dat ius per assumptionem suppositi extranei ad curam paternam, quæ est essentia filiationis adoptiue.

Enasio.

Dices, filiatio naturalis, & adoptiua conueniunt in ratione filiationis; sed non conueniunt, nisi in hoc iure, quod vtrique habet ad hæreditatem; ergo filiatio in communi, adæquatè consistit in hoc iure: ergo ubi fuerit ius ad hæreditatem erit filiatio.

Præcluditur.

Respondeo filiationem naturalem, & adoptiuam non conuenire vniocè, sed solum analogicè; quatenus adoptiua est imitatio filiationis naturalis, & substituitur loco illius: licet ergo solum conueniant vniocè in illo iure, sed non in filiatione; in hac enim conueniunt æquiuocè, vel analogicè, sicut homo pictus, & vetus.

34.
Obiectio.
Vasquez.

Vltimò obijci Vasquez: quia in prædicto casu quo Pater assumeret humanitatem, non posset dici ille homo in quantum homo esse Pater Verbi æterni; & tamen modò dicitur hic homo in quantum homo esse filius; ergo filiatio aliter conuenit nunc Christo, quam tunc conueniret paternitas, nimirum propter ius, quod vtrique esset ad hæreditatem.

Expediatur.

Respondeo, eodem sensu, quo nunc dicitur hic homo filius propter communicationem idiomatum, diceretur tunc ille homo Pater: item eo

sensu, quo nunc dicitur hic homo in quantum homo filius, reduplicando supra suppositum, diceretur etiam tunc in quantum homo Pater Verbi, in quo nullum esset inconueniens intellecta semel significatione, & sensu illius reduplicationis; & hæc sufficiant de hac controuersia, de qua etiam videri potest Magister Curiel, in controuersis Theologicis, libro 2. de controuersis, qui etiam ferè nobiscum sentit in hac questione.

DISPUTATIO XXXII.

De prædestinatione Christi.

SECTIO I. *Quid dicendum sit de hac propositione, Christus est prædestinatus.*

SECTIO II. *Vtrum dici possit, Hic homo, vel Christus prædestinatus est filius Dei.*

SECTIO III. *Vtrum Christus, vel eius humanitas dicatur prædestinata ad gloriam. Resoluntur etiam alia dubia circa eandem materiam.*



Ost Christi filiationem, queritur de eius prædestinatione; an scilicet, & quomodo Christus fuerit prædestinatus? In qua questione aliqua possunt esse de re, & aliqua de solo modo loquendi. De re enim est, an & quomodo Deus elegerit humanitatem Christi decreto æterno ante omnia præuisa merita ipsius Christi, vel etiam aliorum, quod motiuum habuerit ad eiusmodi decretum, & pro quo signo intelligatur, fuisse illud decretum in Deo: quæ omnia latè tractata sunt in superioribus, dum ageremus de causa meritoria, & de motiua incarnationis. Certum etiam est, Deum ab æterno habuisse decretum, quo elegit hanc Christi humanitatem ad vniõnem cum Verbo, & ad talem, tantumque gradum gratiæ, & gloriæ, & ad extremam dignitatem, & excellentiam, quam habet. Quare in præsentia restat sola controuersia de modo loquendi, an scilicet, & quomodo Christus dicendus sit prædestinatus? circa quam multa dubitari possunt, quæ singillatim, & breuiter describenda sunt.

SECTIO I.

Quid dicendum sit de hac propositione, Christus est prædestinatus.

Primò ergo dubitatur, an possimus simpliciter dicere, Christum fuisse prædestinatum. Potest autem duplicem sensum habere illa propositio. Primus est, à Deo fuisse ab æterno præfinitum, & destinatum Christum, hoc est, quod existeret Christus. Secundus sensus est, Christum fuisse à Deo præordinatum, & electum ad finem supernaturalem gratiæ, & gloriæ. De hoc secundo sensu